



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XIV. Argumentum. Declaratur quid sit Homicidium proditorium. Quid sit Affassinium? Quale crimen læsæ Majestatis non gaudens Immunitate loci Sacri? Qui sint latrones publici? & qui graffatores ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

cedere vitam longam, ex Gula vitam brevem, juxta illud. *Eccles. 37. In multis escis erit infirmitas: qui autem abstinent est, adjiciet vitam.* Hinc tot Sancti, qui solo pane, & aqua, vel modicis herbis aut fructibus vescerantur, vixerunt vel supra, vel propè centum annos, ut de SS. Paulo, Antonio, Pafnutio, Hilarione, Macario, Arsenio, Simeone Stylita, Romualdo, Francisco de Paula, ac aliis unicuique est notum. Et hic loci, nonnulli suggererunt, ut legeretur tractatus Vitæ sobriæ Nobilis Viri Alesij Corneli. 2. Optimum esse decernere, ne in mensa apponantur cibi superflui. 3. Habeatur lectio in mensa, ut ex ejus attentione reprimantur cupiditates cibi, & potus. 4. Quilibet prudenter ante mensam decernat quantitatem cibi, & potus sibi necessariam & stabilis sit in proposito non excedendi illam. 5. Sciant turpitudinem gulæ, quam ipsi Ethnici damnarunt, ut in Seneca. *lib. 8. c. 61.* 6. Reflectendum ad pessimas gulæ filias, ejus scilicet perniciosos effectus, quos enumerat *Card. Tolet. in Summa. De septem Peccatis mortalib. cap. 62.* 7. Quod gulosi assimilantur suibus, & canibus voracitatem. 8. Quod vitium gulæ judicio Ecclesiæ peculiariter impugnatur excellentiam naturæ humanæ, ideò in Oratione feria 5. hebdom. *Pas. dicitur, ut dignitas conditionis humana per immoderantiam sauciatur.* 9. Gulam impedire usum Orationis, & elevationem mentis in Deum, ac privare celestibus illustrationibus, ac consolationibus. 10. Hoc vitium acriter puniri à Deo tum in præsentis vita, ut de Israelitis in deserto, tum in futura, ut de Epulone in Inferno. 11. Temperantiam elargiri bona temporalia, ac cœlestia juxta illud: *Qui corporali jejuniò, vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.* 12. Meditatione recolendum Salvatoris nostri JESU CHRISTI exemplum, qui pane hordeaceo, & aqua vesceretur, & in Cruce felle, & aceto, potatus fuit. 13. Alta mente tenendum Ecclesiasticis, quod si omnibus fidelibus dictum est: *Sobrii estote, & vigilate* 1. *Perr. 5.* eò magis ad ipsos hoc dictum pertinere, quibus commendata est cura animarum. 14. Legendi tandem Auctores de virtute Temperantiæ tractantes, inter quos P. Georgius Gobat Soc. Jesu in suo *Quinario tr. 5. P. Ludov. de Ponte p. 1. medit. 19.* Et Cardinalis Pallavicinus in libro, cui titulus: *Arte della Perfezione Christiana, in quo lib. 2. cap. 4. 5. 6. & 7. tract. de Vitio Gulæ, & remediis ipsius.*

DECISIO XIV.

A R G U M E N T U M.

Declaratur quid sit Homicidium proditorium? Quid sit, Assassinium? Quale crimen læsæ Majestatis non gaudens Immunitate loci Sacri? Qui sint latrones publici? & qui grassatores viarum? Casus duo de homicidio proditorio. Tandem quibus industriis sit retrahenda plebs ab ebrietate.

S U M M A R I U M.

1. Homicidium proditorium quale sit?
2. Proditores qui, & quot dici possint?
3. Proditorium quando non sit homicidium?
4. Assassinium quid, & quale sit?
5. Assassini qui, & quo priventur jure Asyli?
6. Majestatis læsæ crimen quale sit exceptum ab Immunitate loci Sacri?
7. Principis appellatione qui sint intelligendi? præcipue in Republica Veneta?
8. Latrones publici qui, & quales dicantur?
9. Grassatores viarum, qui sint?
10. Occidens inimicum Apostatam, an gaudeat Asyli jure?
11. Mandans, & Cooperans ad assassinium an priventur Asyllo?

12. Sanctificatio dierum festorum quibus mediis sit plebi suadenda?

13. Tabernarum fuga quibus rationibus suadenda plebi?

14. Lufiores quibus morivis à ludis sint retrahendi?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

A D P R I M U M. Quid sit Homicidium Proditorium? Tunc esse, quando quis simulata amicitia aliquem occidit. *Dianap. 1. tract. 1. resol. 5.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. resol. 81.* Vel, cum quis, nulla præcedente inimicitia, vel offensa, interficit alium, nihil tale cogitantem, suspicantem, vel prævidentem. *Farin. de Carcerib. q. 28. à n. 74. & de Immunit. n. 138. ubi DD.*

Ex quibus deduxerunt sequentes illationes: 1. Parricidas esse homicidas proditores. 2. Matres quoque, procurantes abortum foetus animati, vel infantem natum occidentes. 3. Testes etiam, & Judices, qui suo dolo sunt in causa, ut innocens damnetur ad mortem. 4. Eum pariter, qui sub prætextu amicitiae, propinato veneno, alium interemit: hi enim omnes dicuntur Proditores, eò quia interfecti non poterant ab eis præcavere, & ideò non gaudent Immunitate. *Farin. de Immunit. n. 138. & seqq. Jordan. d. lib. 11. tit. 3. à num. 343. Mea Erotemata cap. 32. num. 28.*

E contra notatur, non esse Proditorium homicidium. 1. Si occidatur inimicus per insidias, vel à tergo, ut dicitur *Apostatam*: quia inimicus poterat, & debebat præcavere. *Ceyall. com. contra com. quæst. 684.* 2. Neque si occidatur amicus, cum quo insurrexerat Zelotypia, vulgò Gelosia, & præcesserant altercationes, & minæ. *Jul. Car. in s. Homicidium. n. 8. Navar. d. p. 1. Comm. 72. n. 79. in fin.* 3. Neque si occidat ut inimicus reconciliatus de recenti, secus si ex multo tempore. *Novar. d. Comment. 72. n. 78.* ubi idem asserit, si facta reconciliatione, remota non fuerit causa odii. 4. Neque si maritus occidat adulteram uxorem, et si non repertam in fraganti; quia cum virum suum offenderit adulterando, ideò debet præcavere. *Novar. ubi supra num. 81.* Et in his casibus conceditur Jus asyli, & Immunitas loci Sacri.

Quoad secundum: Quid sit Assassinium? Concorde dixerunt: Esse occisionem hominis nihil tale suspicantis, vel præcaventis, factam ab aliquo ob pecuniam, vel pretium datum, vel promissum. *Menoch. de arbit. Judic. casu 360. n. 42. Farinac. de Homicid. quæst. 123. n. 21. & seqq. Et de Immunit. n. 129.* Et hic pariter ferè omnes notarunt. 1. Assassinium vulnera infligentem, sed non occidentem, gaudere Immunitate; quia Assassinus verè, & propriè, est qui mandatum accipit ad occidendum. *c. pro humani. De homicid. in 6. Bonac. d. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 5. n. 7. Farinac. de Immunit. n. 123.* 2. At privari Immunitate non solum Assassinum mandatarium, sed etiam mandantem, fautores, auxiliatores, & receptatores. *Bonac. d. n. 7. & Farinac. n. 124.* 3. Et licet controvertant DD. an Assassinus occidens infidelem, privandus sit Immunitate? Clerus Patavinus adhæsit affirmantibus, quia Bulla Gregoriana privat eos, qui proditorie occidunt proximum suum & appellationi Proximi comprehenduntur omnes homines, et si diversæ Religionis. *Diana part. 4. tract. 1. resol. 105.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. resol. 84.* Bonacin. ubi ante n. 9. 4. Dixerunt non esse Assassinum, qui occidit absque præcedenti pactio-
ne mercedis, vel ut rem gratam faciat. *Jordan. dict. lib. 11. tit. 3. num. 364. 365. Qui num. 369. ait: Cessare qualitatem Assassinii, si sit præ-*
fens

sens ipse mandans in occidendo inimicum suum, vel si mandarii sint famuli sui stipendiati ad arma ferenda, vulgò *Bravi*; quia inimicus ab eis poterat præcavere.

Quo ad Tertium. Quid sit Crimen læsæ Majestatis, exceptum ab Immunitate Ecclesiæ? Dixere, esse Crimen Majestatis læsæ in primo capite, nempe quando exercetur actio in damnum, & personam ipsius Principis, ut occidendo, vulnerando, conjurando, machinando, vel insequendo ejus Personam. Bonac. in d. q. 7. punct. 6. §. 6. n. 10. Ideò offendens Consiliarios, Fiscales, vel alios Regios ministros non privatur Immunitate. Farinac. n. 181. Neque si offenderet Reginam, vel filium Regis. Jordan. dict. lib. 11. tit. 3. num. 385. advertens, in tali casu esse recurrendum ad Papam pro licentia extrahendi reum.

Appellatione autem Principis notantur, 1. illum intelligi, qui non recognoscit superiorem. Farinac. num. 187. Jordan. n. 487. qui circa SERENISSIMAM Nostram REPUBLICAM putat, nomine Principis intelligi, non solum personam Serenissimi Ducis, sed Personas etiam Senatorum, supremos Magistratus exercentium; quia in eis suprema Principatus residet potestas. 2. Nomine Principis venire Cardinales, & Episcopos Marini Ital. lib. 1. cap. 5. num. 16, quamvis aliqui contradicant apud Dianam p. 5. tr. 2. resol. 86. Quæ in Coordinato est rom. 9. tr. 1. resol. 46. 3. Etiam Generalem Religionis venire nomine Principis respectu suorum subditorum, quia in eos habet merum, & mixtum imperium. Novar. part. 2. Comment. 80. in fin. Bordon. Var. resol. part. 1. resol. 1. num. 28. Nam in hac materia semper requiritur, ut Reus sit subditus Principis offensi, ad hoc ut sit indignus Immunitate. Jordan. ubi supra num. 387. & 389. 4. An verò Scientes machinantes in Principem, & non revelantes priventur Immunitate? Sunt hinc inde opiniones; quarum verior videtur negativa, quia esset crimen omissionis, & non commissionis: At Bulla excipit delinquentes in Principem, committendo; non omittendo. Peregrin. de Immunitat. cap. 10. num. 11. Bonac. dict. §. 6. num. 18.

Ad Quartum. Qui dicantur Latrones Publici? Concordant; illos esse. 1. Piratas maritimos. 2. eos, qui stant in publicis Viis ad furandum. 3. Vel qui in domibus privatis latrocinia committunt, sed cum violentia, & armis. Ita ex Farin. de Immun. n. 149. & ex Diana p. 6. tract. 1. resol. 15. Quæ in Coordin. est rom. 6. tract. 1. resol. 58.

Ad Quintum. Qui sint Grassatores Viarum? Pariter dixerunt eos esse, qui vias publicas obsident; & Viatores spoliant, vel retinent, ut redimant se pecuniis, vulgò *Quelli*, *chericcatano*. Novar. in Summ. Bullal. d. p. 1. Comment. 72. n. 44. Ethic differunt à Publicis latronibus, tanquam species à genere; nam, qui deprædantur tantum in Viis publicis, dicuntur Grassatores viarum; qui vero furantur etiam in domibus cum armis, & violentia, appellantur publici latrones. Jordan. d. lib. 11. tit. 3. num. 317.

AD PRIMUM CASUM.

Andreas expectavit in via inimicum suum, ut vulgò dicitur Apostatante, ut eum occideret, prout excludendo scilicet à tergo in eum, occidit. Quæritur, an Andreas confugiens ad Ecclesiam possit extrahi ex illa?

Doct. Clericali Tom. II. Lib. LX.

Distinxerunt. De Jure Canonum posset extrahi per cap. 2. de Homicidio Voluntar. At ex Bulla Gregoriana, quæ attenditur in hac materia, non esset extrahendus, quia in ea conceditur extractio homicidæ Proditoris, & non est proditor, qui occidit inimicum, licet per insidias, nam ad proditoris qualitatem requiritur vel simulata amicitia, vel quod nullus rancor præcesserit, ita ut interfectus non potuerit præcavere, ut docent DD. supra in primo Quæsito, & tenet Diana part. 1. tract. 1. resol. 5. & resol. 33. Quæ in Coordin. sunt tom. 9. tract. 2. resol. 80. & 81.

AD SECUNDUM CASUM.

Lucius rogavit Assassinium, ut occideret ejus inimicum, & deposuit promissam pecuniam penes Nicolaum, ut eam illi daret, statim securo homicidio. Inimico interfecto per Assassinium, Lucius, & Nicolaus timentes justitiam confugiunt ad Ecclesiam. Quæritur, an gaudeant Immunitate loci Sacri?

Resolutio fuit negativa, quia omnes Criminalistæ censent, mandantem, & cooperantes Assassinii Immunitate non gaudere, ut dictum est supra ad secundum Quæsitum, & tenet Thesaur. de Penit. Eccles. part. 2. Verb. Assassinium. num. 6. Et licet aliqui moderni videantur sentire in contrarium apud Dianam p. 4. tract. 1. resol. 33. & p. 6. tr. 1. resol. 11. Quæ in Coordin. sunt ro. 9. tr. 1. resol. 86. 87. Tamen à negativa non est recedendum, quia verè sunt rei Assassinii. Jordan. d. tit. 3. n. 354. & 355. & mea Erotemata Ecclesiastica d. c. 32. num. 30.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quibus industriis possit Parochus retrahere suum populum à potationibus, & ludis in diebus festis?

Dixerunt in hoc casu tria contineri, videlicet. 1. Sanctificationem Festorum dierum. 2. Sobrietatem in potationibus. 3. Aversionem à ludis, seu locis.

Circa primum. 1. Explicandum esse frequenter Tertium Decalogi Præceptum; docendumque populum, quod Sanctificatio diei festi non stat in sola auditione Missæ, sed in considerandis divinis beneficiis: Quis sit finis noster: in meditandis mysteriis fidei, & capefcendis mediis necessariis ad consequendam salutem æternam. 2. Occupare populum, diebus festis, à prandio usque ad occasum solis, vel paulò minus, in Ecclesia. 3. Id fiet, si per duas saltem horas erudiantur tum pueri, & puellæ doctrinam Christianam in distinctis classibus, tum adulti tempore disputationum, in quæstis, & eorum explicationibus circa eandem Doctrinam. 4. Si devotè decantatis Vesperis habeatur lectio alicujus libri Spiritualis, vel sermo ex suggestu facilis, fructuosus, & ad captum Parochianorum accomodatus. 5. Si deinde recitetur tertia pars Rosarii, vel exponatur Sacrosancta Eucharistia piè, & reverenter, & ea coram Oratio mentalis per aliquod temporis spatium introducat. 6. Si incessanter populus adhortetur, ut accedat promptè ad Ecclesiam, divinas recepturus remunerationes, & abhorreat potationes, & ludos, ex quibus causantur dispendia, non solum temporalis, sed (quod magis est) salutis etiam æternæ; ita ut Parochus verè, & ex corde adimpleat illud Apostoli monitum, Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.

Quo ad secundum bonum sobrietatis; Ut re. 13 trahatur populus à tabernis, & Cellis Vinariis,

C 2

dixer

dixerunt; esse difficilimum juxta *Lessum lib. 3. de Just. & Jur. cap. 23.* Nam ebrietas est venenum illud insanabile, de quo scriptum est *Deut. 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Nihilominus profutura hæc remedia.

1. Legendum sermonem S. Augustini de ebrietate, qui est 231. de Temp. ex quo Parochi colligent plurimum contra tabernarum frequentatores.
2. Moneantur Parochiani, ut fugiant societatem compotantium.
3. Doceantur, tam grave malum esse ebrietatem, ut transmittatur in descendentes, quia hepatis adusti vitium transfunditur in filios, ac filias, & ex eis in nepotes; sicque pater siticulosus, & bibax filios gignit siticulosos, & bibaces.
4. Certiorentur, nimium Vini potum remollescere homines ad laborem ferendum, eosque examinari.
5. Explicentur mala ex ebrietate resultantia (quæ pariter ex ludis proveniunt) nempe blasphemiarum, rixarum, contumeliarum, bonorum decoctiones, ac frequentem homicidia.
6. Narrentur exempla Romanorum, & aliarum gentium, quæ bibitoriarum tabernas funditus everferunt, & stirpitibus proscripserunt, distantes, eas esse omnis nequitiae lustra, ut refert *Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. dier. c. 3.*
7. Terreant consuetudinarios ebriosos, negando iisdem Sacramentalem absolutionem, cujus capaces non sunt, nisi abstineant à tabernis, quæ sunt illis occasiones proximæ peccandi.
8. Agendum apud Superiores, ut accessus ad cauponas prohibeant uxoris, ut olim erat in usu, teste *Gregor. Tolosan. Syn. agm. Jur. part. 3. lib. 39. cap. 7.* ne patres familias uno symbolo consument soli, quod omnibus domesticis in hebdomadam sufficeret.
9. Monitos faciant Compotatores, quod si fuerint auctores bibendi iis, qui ære alieno pressi sunt inhabiles ad solvenda debita, vel ad aliendam familiam, remanent ipsi obligati ad restitutionem. *S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 6. cap. Si culpa De Injur. & damn. dat.*
10. Suggestant iisdem considerationem vicinæ mortis, brevitatem deletionis, æternitatem poenarum inferni.
11. Tandem his heluonibus Confessarius imponat salutares Pœnitentias jejuniorum, temperantiam victus, & alias, quas notat *Reginald. lib. 7. à num. 60. & seqq. Fornerius de Temulentia malo à cap. 15. ad 24. & P. Geor. Gobat. in suo Quinario Tract. 5. p. totum.*

Quo ad tertium. Ut diebus Festis homines à ludis abstineant, proderunt plurimæ ex supradictis industriis, & monitiones: ac præcipuè, ut Sacramenta frequentent, divina meditentur Mysteria, & Christi Domini dolorosam Passionem; quam breve sit tempus hujus vitæ, ideòque non malè infumendum. Horrorem mortis, quam lutores patientur, & contra benè viuentes quanta lætitia de temporali vita transeant ad æternam.

D E C I S I O XV.

A R G U M E N T U M.

Referuntur penæ constitutæ contra usurpantes bona Ecclesiastica; & modi omnes, quibus dicta usurpatio fit. An liceat Parochis cadere arbores fructiferas suorum beneficiorum? & Patroni possint habere fructus beneficii vacantis? De abusu Tabacchi, quibusve mediis sit ab Ecclesiasticis proscribendus?

S U M M A R I U M.

1. Penæ statuta contra usurpantes bona Ecclesiastica.
2. Usurpatio bonorum Ecclesiasticorum quot modis fieri contingat?
3. Arbores fructiferas Ecclesia cadens quas penas incurrat?
4. Patronus beneficii non potest retinere sibi fructus, eo vacante.
5. Tabacchi abusus quomodo eliminandus ab Ecclesiasticis?
6. Tabacchi origo, & inventio.
7. Tabacchum quot modis sumatur?
8. Tabacchi qualitas, & quibus profit, aut officiat?
9. Tabacchista, qui fuerint primi?
10. Amurathes Imperator Turcarum prohibuit usum Tabacchi, & cur?
11. Tabacchum nostrum corruptum, & spurium?
12. Tabacchi sumptio an frangat jejunium?
13. Tabacchi sumptio prohibita Ecclesiasticis in Synodo Lima.
14. Casus horrendus in Sacerdote sumente Tabacchum?
15. Tabacchista seipsos, ac vestes sternutationibus conspurcant.
16. Sacerdotes nihil plebejæ habere debent.
17. Moribundus quidam sollicitior de Tabaccho, quam de anima.
18. Tabacchi nocumenta.

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD Primum. Quanam sint penæ constitutæ contra usurpantes bona, vel proventus Ecclesiarum, aut piorum locorum?

Primò. Ex Concilio Tridentino *Sess. 22. c. 11. de Reform.* inflictam esse poenam Excommunicationis lætæ sententiæ, reservatam Papæ, non relaxandam, nisi facta restitutione; & si usurpans sit Patronus Ecclesiæ, eo ipso privatus existat jure patronatus. Et sic clericus, ulterius amittat quæcunque beneficia, & sit inhabilis ad alia obtinenda, ac suspendatur ab ordinibus arbitrio Ordinarii.

Secundò. In Bulla Cenz Domini fulminari excommunicationem, Summo Pontifici reservatam contra Usurpatores prædictos (quæ est la 17.) de qua omnes DD. circa Bullam scribentes.

Tertiò. In cap. Hanc consuetudinem. 18. quæst. 1. Anathematis vinculo ligari, auferentes ab Ecclesiis oblationes iisdem factas; quæ poena pariter est lætæ sententiæ, *Turrecrem. ibid. & Barbosa. alleg. 50. num. 170.*

Quartò. Esse Casum reservatum Eminentissimo Episcopo in hac Dicecesi, differre solutionem legatorum piorum ultra biennium, vel si Notarii ea non denunciant intra bimestre ex negligentia, vel ex malitia; nec non si à quocunque supprimantur, dispergantur, aut falsificentur scripturæ concernentes interesse Ecclesiarum, vel bonorum Ecclesiasticorum; ut legitur in Tabella Casuum reservatorum.

Ad Secundum. Quot modis contingat Usurpatio bonorum Ecclesiarum, aut locorum piorum? Retulerunt sex modos?

1. Cum quis prætendens habere Jus in dictis bonis palam, & violenter usurpat sibi dominium, vel quasi eorundem. *Gloss. in capit. multi. 2. quæst. 1. Suarez de Censur. disput. 21. sect. 2. n. 96.*
2. Quando clam quis usurpat sibi dicta bona, sub eodem prætextu. *Bonacin. in Bulla Cenz disput. 1. quæst. 18. punct. 1. num. 7.*

3. Cum